CORONÆ DUODECIM CÆSARUM AUSTRIACORUM Radius Septimus, *SIVE* CAROLI V. MAXIMI Elogium.

EMBLEMA.

Fama, CAROLO Quinto, Magno, Maximo colossum instrue;
Sed qui maximo par sit, hoc est maximum.
A terrâ in cælos abeat digna tanto Cæsare fabrica.
Priusquam tamen exstruere incipias,
Tumulum,
Quem ipse mortuus sibi, tibi, ac toti orbi immortalis fecerat;
Primum tumula.
Ac deindè superingestâ humo, sic conditum suis cineribus permitte,
Ne seu funesta; seu ferali imagine operi obstrepas, quod in ultimam
Posteritatem molimur.
Spatium, in quo hæc machina surget, omnium hominum erit memoria,
Si excesserit.
Eâ parte excedet, quâ immortali Cæsari immortale monumentũ tu facies,
Et extra communia hominum fata altissimo vertici imposita cælis
Imminebis.
Quibus nihil ampliùs fatale est.
Pro basi geminas illas columnas Herculis Calpen, & Abylam sic subjice,
Ut stratæ ultra Lybiæ Europæque fines jaceant, infra
Plusquam Herculeum lemma adde:
PLVS ULTRA.
Erit hàc ad labores CAROLI Magni imò Maximi limes.

Quà se Herculis ruperunt Viæ.
Hinc mensuram accipe :
Altero tanto Hercule, major est CAROLVS,
Quòd eâ inceperit laborare, quà ille fessus quievit.
Desertas fragmentorum arcas utrinquè stipent labores tredecim,
Quibus unà cum Hercule Antæum humi impone,
Nil pro futuris tactibus à Matre vires quæsiturum.
His superstrue CAROLI annos,
Heroas omnes Victorioſos, Triumphales.
Omnibus his magno calamo hos versus inscribe:

ILle Germani dominator Orbis
CAROLVS, victas cui fert subactus
Supplici Alcides, dominum salutans
Voce columnas.

Quidlibet magno meditatur ausu,
Ad MARIANAS meditatur aras,
Nec timet mentis liquidos apertæ
Prodere sensus.

Quid mihi strictum Telamonis ensem
Obijcit mœstæ malesana mentis
Cura, quid tristes meditatur atrox
Palladis arcus?

Ite sub molles Rubiconis undas,
Ite trans Medum Babylonis orbem,
Sub fretum Thules procul ite læsi
Iurgia cordis.

Integer morum, scelerisq; purus
Virginis cultor, neq; fulminante
Hectoris telo, neq; Sardianis
Indiget armis.

Nolo mucrones, facilemq; victi
Herculis parmam, nec ahenus ille
Arma quæ cudit sibi fabuloso
Mulciber igni.

Ille tutelam mihi ſpondet umbo,
Quem MARIANÆ mihi fabricatum
Cura Bellonæ famulo coruſca
Pandit ab arce.
Hoc ubi ſeptum generoſus Aiax
Videro pectus, neq; tela Parthi,
Nec venenatæ grauidam timebo
Cuſpidis iram.
Scimus ut triſti dare thura Lunæ
Pertinax vultus, ſolitusq; turpes
Supplici vultu Mahometis aras
Tangere demens.
Boſphori cultor, per onuſta vaſti
Regna cùm Ponti traheret timendum
Vrbibus fatum, tegeretq; totum
Claſsibus æquor;
Vt laboranti meditata mundo
Vindicem dextram, ſtiterit rebellem
Barbari cymbam, decimaq; totos
Merſerit undâ.
Thraciæ ciues (ubi trux Moloſſon
Nereus pandit) redimita leni
Syderum nimbo, roſeisq; fulgens
Virgo fauillis.
Illa quæ puro ſine labe partu
Seruat æternum, poſitura nunquam
Virginis nomen, famulamq; Cæli
Temperet aulam.
Illa calcatam domitis ſubegit
Cornibus Lunam, indocilemq; vinci
Cæſaris Martem, tulit Herculani
Æquoris ultra

Spu-

Spumeum murmur, pavidasq; Thracum
Obruit turmas, Scythico cruore
Decolor Pontus, rubuêre pictæ
Sanguine puppes.
Vt mei pronâ pietate victis
Parcerent enſes, tamen ira ſæuæ
Tethyos nulli miſerum pepercit
Naufraga fatum.
Ergo vel totus fremat arma Pontus;
Una ſi blando fauet ore Virgo,
Hac duce armati ſuperabo victor
Prælia Ponti.
Pone me, duras ubi nulla rupes
Mollit herboſæ leuitate ſcenæ
Flora, ſed ſolus riget æuiternis
Cautibus horror.
Fundet æſtivas, mihi fundet herbas
Hic MARIANÆ ſacer umbo dextræ,
Fundet Hyblæo benè promicantem
Germine meſſem.
Pone me, pigris ubi nullus arvis
Phœbus audaces meditatur odas,
Quod latus mundi cohibent ſilentis
Otia vulgi.
Hic Marianis ſtimulabo mollem
Laudibus buxum, famuloq; Regi
Dulcè ridentem MARIAN amabo,
Dulcè loquentem.

Hæc ubi inſcripſeris,
Nullum annum imbellem ſtatue;
Nihil enim pueri in CAROLO etiam recens nato.
Ipſe annus quo natus eſt, non infantis, ſed viri primus fuit.

Et

Et quia eadem ſemper illi virtus, felicitas eadem,
Omnes ſimiles incîde.
Solis vel ſpolijs, vel triumphis diſſideant.
Geſtum inde qualis Martis eſt, cùm Getico ab Hæmo infert prælia,
Thracioquè ſuper curru cruentus.
Et Pergama, & Priamum, & Dardaniam non uno vulnere, uno funere miſcuit.
Siniſtrâ ſuâ quiſque regat ſpolia:
Dextrâ ſic vibret Imperatorium baculum:
Tanquam vel acies inſtruat, vel coituris in ſtrages militibus impetus ſufficiat.
Laurum meſſuros
Vtroquè brachio ad cubitum nudo.
CAROLO enim tam expedita ad agendum manus fuit, quàm maturum Conſilium.
Oculos cuilibet in iras acue:
Sed quales, vel juſta vindicta, vel clementiam inter & magnanimitatem Fortitudo
Heroa ſuccendit.
Non vagos, non evariato nutu, ſed uni victoriæ intentos,
Qualis ijs ducibus eſſe ſolet,
Quibus vel ſua virtus, vel invictum robur certam laurum fecit.
Armaturâ indue eâ, quæ pugnaturi in campo Ducis eſſe ſolet.
Caſſidem capiti, loricam pectori, enſem lateri admove.
Faſcia militarem, quæ & militis & ducis eſt, ita in humeros abijce,
Ut à lævâ in dextram defluat,
Mediumquè pectus anni cujuſquè; quia Auſtriaci
Ad effigiem gentilitiæ Nymphææ
Candidum faciat, & rubicundum.
In mediâ facie ad baſin, annum ſtatue ſuper conchâ Neptuni,
Dextrâ Tridentem, ſiniſtrâ velum Fortunæ regat.
Magnanimus enim, & qualis CAROLVS erat Maximus,
Suæ ipſe Fortunæ faber eſt.
Ad pedes Oceanum, & omnes maris Deos abijce,
Navigaturo celeuſma acclamantes.
Erit hic annus M. D. XVII.
Quo in Hiſpaniam navigavit relictâ ad Belgij gubernacula Margaretâ amitâ,
Hâc annum ſiſte, cujus vertex ſepoſitâ ad pedem caſſide, coronam geſtet:

Infra

Infra Pedes sterne, basis loco, quadraginta millia Marranorum:
Vtrinquè universam Hispaniam sic subde genu flexo,
Tanquam vel Regem salutaret, vel subiectam se fateretur.
Erit his annus M. D. XVIII.
Quo septimâ Februarij Vallisoleti ad Divi Pauli Hispaniarum Rex inauguratus est.
Præmium, credo, coronæ fuêre quadraginta millia Marranorum, eodem Anno prostrata.
Iam tunc præsaga felicitatis suæ Hispania, quòd Regem nacta sit,
Qui non nisi per Victorias ad solium graderetur.
Illuc annum coronâ argenteâ insignem,
Cui universam Germaniam sic flecte ad Imperatoriam Majestatem,
Vt Imperatorem adoret.
Erit is M. D. XIX.
Quo
XXVIII. Iunij Francofurti Romanorum Imperator renunciatus,
E Belgio Aquisgranum profectus,
Ibidem Imperij Coronam argenteam Carolinam suscepit.
Anni hi Coronarum fuêre.
Si eum addas, quo ferreâ Longobardorum insignitus fuit,
Vel miles Regius, vel Cæsar militaris:
Vtroquè Victor.
Nunc laureatos dispone,
Annus, qui ordine, ita felicitate primus est, dextram teneat,
Huic adijce, cum civitatibus, Proceres Hispaniæ,
Ducibus Friderico Henrico, Ammiralio Velasquio Conestabili Castellæ,
Prælio victos, debellatos, ad obedientiam reductos,
Gallos domitos, Navarram subjugatam.
Cruentam illam pugnam adde,
Quæ XIV. Augusti ejusdem anni Exercitum Gallicum fudit, Ducibus Eorum captis.
Numera Mexicam cum ipso suo Rege, & ultra centum millia Indorum cæsa,
Duce Ferdinando Cortesio.
Placentiam, Parmam, Mediolanum, Tornacum, Majoricam.
Rebellibus catenas inijce,
Reliquos aut deprecari jube, aut sub jugo gemere:
Nam & CAROLVS noverat parcere subjectis, & debellare Superbos.

Ad hujus normam reliquos exprime,
Ad annum usquè M. D. LV.
Et hanc subijce Epitomen.

בַּרוֹלוּשׁ ה חַבּוּן:

אַשְׁבְּנוּ גְּתִים דּוֹמַת צַדְּפַת

מִשְׁתַּחֲוִים אֶת-בַּרוֹלוּשׁ

מְאֹד הַלְאֵת בִּי-הוֹן

אֱלֹהִים וְת-נֶעְלָם:

Suum deinde cuiquè decus adorna,
Incide Franciscum Primum Francorum Regem prælio victum, captũ.
Perüanam Francisci Pizarri operâ subiectam ditionem.
Superatum bis Turcam.
Octodecim Reges, octodecim prælijs victos.
Castella centies mille expugnata,
Quadraginta Victorias, prælia plusquam felicia septuaginta.
Denique, sic adorna universam imaginem gloriæ,
Vt cùm comprehendere non possis omnia, videaris insinuâsse.
Super hæc geminos orbes impone,
Quos Columnæ geminæ nectant in vertice coronatæ:
Mediam pietatem pinge, eô quô solet vultu heroo, & cælum suspiciente,
Dextrâ manu crucem gerat;
Sinistrâ volantem infra columnas schedam ostendat,
Cui incisum CAROLI maximi dictum,
absolutissimum triumphandi documentum,
Victoriarum suarum Epiphonema tam sanctum, quàm gloriosum.

CAROLVS Venit, Vidit, DEVS Vicit.

Apage quisquis malè Politicus, ambitiosiùs obstrepis quàm veriùs:
Cæsar non Vicit, DEVS vicit.
Quanquam CAROLVS vicisse videri potest, cui nulla pugna nisi
Pro DEO,
Nullæ victoriæ fuêre, nisi DEVS triumpharet.
Supremo vertici Aquila supervolet, è cujus ore verba emineant:

Non plus ultra.

Limes hic esto felicitatis CAROLI,
Ne fortunam, juvenum amicam, senex irritet,
Geminoquè innixa orbi,

CAROLVM Victorem, Triumphatorem Cæsarem Maximum.
Sic dic:

Ut & Oriens, & Occidens audiat:
Non aliàs digna tanto Cæsare fama futura.

Dic pugnas, cæsos hostes, domitos rebelles, Reges captivos,
Vrbes expugnatas, orbes subjugatos, victorias,
Triumphos.

Hæc ab uno CAROLO gesta dic, sed MAXIMO.
Attamen ubi extra Maduram deveneris,

Est in hac Provinciâ D. Iusti, Ordinis Eremitarum D. Hieronymi
Monasterium:
Sepositâ tubâ altùm sile.

Et ingressa abdicantem CAROLVM immortalem
Cæsarem,
Eremitam moriturum,
Elinguis obstupesce.

Ubi dein te iterum collegeris, devotissimâ reverentiâ
Accola.

Et quod pauci intelligunt verbum,
Verbo, quod pauci intelligunt, loquere.
Græcè applaude.

Ἐκ γονέων μεγάλων γεννηθεὶς, ἦτο μέγας
Κάρολος, ἔυτ' εἶναι ἤρχετο μικρότατος.
Καὶ τῆ γῆν ἦ, ἢ κατὰ Ἰταλάτταν μέγας Ἥρως,
Ἦτο θελαμβευτὴς ἀμφοτέρων τε κύκλων.
Ἦ μέγας, Αυσριακῶν πάντων ὅτι ἦτο κράτιστος
Τῶν Αυτοκρατόρων Κάρολος ὢν βασιλεύς.
Ἀλλὰ δὲ ἐ μείζων ἦ πώποτε Κάρολος ἄρχων,
Ἢ πότε ἐκ μεγάλων μικρότατος γεγονώς.
Ουρανῷ τῷ ὑψιφόρῳ τότε ἄρτιος ἦε,
Γενναιῶς ὅτε τὸν κοσμόφι ἐρίβεε.
Κάρολος αὐτοκράτωρ, μείζων μὲν Μήποτε ἦτο
Ἢ ὅτε τῆς ἀρχῆς ἦτο ἀφισάμενος.
Τὸ στεφανηφόρον ἄστροις ἐμβάλλων κεφάλαιον,
Ἢε ὑπὲρ κόσμου βάρος ἀφισάμενος.
Ἐξ αὐτοκράτορος μόναχος, ἢ ἐξ Καίσαρος ἄδλέν.
Μείζων ἔυτ' ἄδλεν, ἢ πότε Καῖσαρ ἦε.

ὃν

ὃν τ' οὐ φιλεῖν οὐ λύπη,
ὅπ ΚΑΛΟΝ.
ἔπ θαυμάζε,
ὅπ ΚΑΙΣΑΡΑ
ἠνίκα νέῳ τινὶ θαύματι
ἀντίθετα συνθεὶς τὰ ὀνόματα
ἐν ἑνὶ αὐτῷ τε τῷ θρόνῳ βασιλεύειν λύσαθαι
ἐδήλωσε,
τὸν μὲν ΕΡΩΤΑ, ἢ ΣΕΜΝΟΤΗΤΑ.
Μὴ ἀλλ' ὅμως ΚΑΛΛΙΩΝΑ ἢ ΚΡΑΤΕΡΟΝ νομίζε
ΦΡΙΔΕΡΕΙΚΟΝ.
ὃς σπανίῳ ἔτ' ἐν κρατίστοις θαῤῥαδείγματι,
Αντιμαχομένην τὴν τύχην
ὅτως κρατιστεύων, ὡς εὐτυχῶς
εἰς τὰς ἑαυτοῦ ὑπηρεσίας εἰσαῦθις ἠνάγκασε.
τὸ μὲν ἆθλημα σὺν ἀρχῇ τότῳ ἅπαξ ἥρπαχε ἡ τύχη,
Ἀλλὰ ἴσην αὐτῷ κηρυφὴν μηδεμιᾷ εὑρέσα,
ὑποτέθηκε,
κ' ἐκ ἀθλίκης τῆς τὸ ἆθλήματος λησρίδος
γεγονῆα δικαιοτάτη δικάσεια,
ῥιφθὲν ὑπὸ ζηλήμονος τῆς ΕΡΙΔΟΣ
ἥρπαθέν τε τὸ χρύσεον τῆς ἀρχῆς τὸ ΜΗΛΟΝ
τῷ ἄλλῳ δισῶναι οὐκ ἐδυνήθη,
ἢ τῷ ΚΑΛΛΙΣΤΩ.

Plura de hoc cave ne loquaris:
Maiora ſunt *maximo.*
Et quæ non niſi ſpectator orbis admiretur, vix credat:
Ut immortalis eſſet, eâ tranſivit,
Quâ proximum ad æternitatem iter eſt,
Quod ingredi debuit, vel ideò,
Quia is erat, quem orbis ampliùs non caperet.
Imperio ſe abdicavit, & gloriâ,
Quæ nihil haberet ampliùs, quô tantum Cæſarem
Coronaret,
Qui *Maximus* eſſet,
Et vel ſic ingenuè faſſa majorem CAROLVM,
Abdicari ſe paſſa eſt, ne abdicaret.
Fortunæ ludum facturus, ne luderetur ipſe,
Quidquid acceperat, reddidit, etiam ſic fortunatus,

Quòd Fortunis carere maluit, quàm privari;
Feliciſſimus, cùm felicitatis nihil ſupereſſet ampliùs,
Ne infelix foret, quòd felicior eſſe non poſſet, denuò felix eſſe
Cœpit.
Hôc quoquè feliciſſimus,
Quòd præcipitia, quæ alij vix tangunt, ipſe etiam calcaverit.
Quin quòd videret ſortem ſuam humanâ majorem,
Semideus ab hominibus abijt:
Et ut ſtabiliret non duraturam aliàs immortalitatem,
Cœpit de æternâ vitâ cogitare.
Vtriuſquè Orbis Victor, cùm eò proceſſiſſet,
Unde progredi non poſſet ampliùs, niſi in cælum graderetur,
Eò ivit, quâ proximus in cælum paſſus eſt.
Credite Poſteri:
Nunquam major erat CAROLVS, etſi jam tum maximus
eſſet,
Quàm quando ſtrato humi omni apparatu gloriæ,
Cælum inter & terram medius,
Imò cælo propinquior ſic illuc abijt,
Ut per humana omnia incederet.
Hôc ipsô vel cæleſtibus, vel DEO proximus.
Debebatur hoc Maximo CAROLO, ut illi ſe cælum etiam
ſubijceret,
Qui ſuperato utroquè orbe, jam non habuit ampliùs quod
vinceret.
Debuit ſe, aſcenſuro in cælum, terra in ſcabellum ſubdere,
Nam non eſt facilior illuc paſſus, quàm calcatâ terrâ.
Naturam ſolis imitatus,
Qui tot annis ſemper diurnus terram obierat,
Ut integram diem faceret, *noctem* addidit, ſeu *tenebras*.
Gnarus, ſi in cælum aſcendere vellet, nequè illic lucem eſſe ſine
tenebris.
Inde ſic occidenti etiam aſtra parentarent.
Nam viſus in Hiſpaniâ Cometes initio non admodum illuſtris,
Sole ſcilicet ſuo adhuc terras obeunte,
Sed qui ſubcreſcente morbo, per eadem incrementa lucem
intenderet,
Donec verſo in Hieronymianam ſedem ferali crine,
Quâ horâ CAROLVS vivere, ille videri deſijt,

Oſten-

Ostensurus se fortè diutiùs,
Nisi sic occidendo iterum ortus, astra cælo expulisset, vel luce damnasset.
Nam CAROLI dies, quæ nullas umbras, tenebras nullas habuit;
Quia Maximi fuit citra invidiam,
Radijs suis non occidit, sed eosdem posuit latibulum suum.
Nunquam splendidior Orbi, quàm quando sic latuit.
Nam nunquam Soli felicior, aut pulchrior fax accidit eâ,
Quam promit è nubibus eluctatus,
Æternitatem adepturus.
Qui cùm adeo crevisset, ut homo vix crederetur ampliùs,
A perituris ad æterna se transtulit.
Nunquam certius cælo victurus, quàm cùm humanis sic moreretur,
Ut iam proximus astris degeret,
Et humana, quæ mundus maximi facit, ipse major calcaret.
Ita CAROLVS cum esset Austriacus,
Proprio Austriacorum ingenio, an naturâ?
Annos quadraginta paternis regnis, sex & tringinta imperio potitus.
Ac duos post omnium abdicationem potitus ipse se,
Dubium reliquit:
Majoremnè laudem in Imperio, totquè regnis administrandis,
An in ijs simul omnibus relinquendis promeritus sit.

FERDINANDE III.

Iustitiâ Austriace,

Pietate Austriace.

Phosphorum tuum, cùm Sol sis, jam inde ab Oriente adoravimus,
Si Cælum inscendere voles,
(Nam & tu humanis major, jam Maximo par es)
Serò inscende,
Ne frustra Phosphoro nunciante diem in Oriente laboremus.
Vel si hæc animo sedet sententia,
Terris migrare, quas jam excedis,
Et quæ te non sapiunt ampliùs,
Ita serò excede non seriò;

Vt in Filio Tuo FERDINANDO IV.

Qui Solis genus est,

Die

Die nunquam Auſtriacâ careamus,
Eaquè nobis æternùm ſplende,
Quà dignus ſæcula vivere,
Immeritus & ſerò occidens,

CAROLI CASTORI
POLLVX GEMINVS.

CO-